LA FONT, F de.

ILLUST. AC REVEREND.
ADMOD. PATRI
LEONI DE LA FONT
MAJORUM CARMELITARUM
CONVENTUS AVEN. EX-PRIORI
MERITISSIMO.

AVUNCULO SUO COLENDISSIMO:

In æternum amoris, grati animi & obſervan-
tiæ monumentum.

Hoc primum Doctrinæ ſuæ ſpecimen.

D. D. D. Franciscus DELAFONT
Avenionenſis Artium Liberalium magiſter.

QUÆSTIO PHYSICO-MEDICA

An Aëris Gravitas ſit neceſſaria ad Animalium vitam conſervandam.

Quam Deo duce & auſpice Dei parâ,

AUSPICIIS

Perilluſt. Nobil. & Reverendiſſimi Domini.

D. FRANCISCI ABBAT.

DE TULLIA

Antiqui Stæ. Tricaſtinenſis Eccleſiæ prepoſiti ; tertiùm Primicerii.

PRÆSIDE

ILLUSTR. AC NOBIL. D. D.

JOSEPH. GASPARD. GAUTIER

Doct. Med. Aggreg. Regente ordinario, ac Profeſſore Primario & Botanico.

TUERI CONABITUR,

NOB. D. FRANCISCUS DE LAFONT

Avenionenſis jam dudùm artium magiſter ac Medicinæ Studioſus.

In Aulâ Univerſitatis Die Junii 1717.

PRO BACCALAUREATU.



AVENIONE,

Apud CAROLUM GIROUD, in foro Cambii.

M. DCCXVII.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE



QUÆSTIO PHYSICO-MEDICA.

An Aëris Gravitas ſit neceſſaria ad Animalium vitam conſervandam.

I.

QUI naturam Aëris paulò attentiùs inveſtigabit, haùd dubié ſtatim de ejus Gravitate certior fiet. Inter Elementa malé recenſetur ab Antiquis Philoſophis: 1°. Quià ſecundùm eorum mentem, Aëris Sphera inter Aquam & Ignem poſita eſt, ſicque in omnium mixtorum compoſitionem admitti nequit. Quomodò enim in Subterraneas corporum Generationes Ingrederetur, ſi ad intima terræ viſcera nequaquàm poſſit pervadere ac penetrare.

2°. Aër ut elementum haberi non poteſt, quia ex ſublunaribus nullum reperitur corpus minus ſimplex; né dicam magis compoſitum ipſo Aëre. Quis enim ibit inficias Univerſæ terræ corporum effluvia, fluidiſſimo illi corpori, quod Aër appellatur, permiſceri, & ſuam gravitatem ipſi communicare; graves namque ſunt gravium particulæ, quamvis exiliſſimæ.

I I.

PORRO Aërem nos hîc conſideramus non per ſe ſolum & ſimplicem, ſed prò ut nos ambit, hoc eſt pro ut varia ſibi admixta continet corpuſcula, iiſque nos afficere valet. Itaque Aëris nomine prædicto modo ſumpti, intelligenda venit liquidi moles illa, ſeu immenſa attomorum aggeries ſenſibus minimè obvia, & corpus noſtrum immediatè ambiens, quam inſpiratu ducimus. Hæc vel placida eſt, tùncque Aëris nomine ſimpli-

citer designatur, vel sæpiùs sensibiliter commota, & venti nomen sortitur. Ventus ergò merum est Aëris accidens, sicut dùm humidus vel calidus, frigidusvé dicitur, cùm illæ proprietates non sint ipsi essentiales, nec ex suâ naturâ sic se habeat, sed tantùm per accidens diversimodé modificetur, & alteretur; Tot enim adsunt variæ Climatum constitutiones, quot adsunt diversi astrorum aspectus; Tot variæ Aëris mutationum species, quot diversa exhalationum genera, quibus potest imprægnari; undè Aër qui propiùs humi peripheriæ serpit, multùm differt ab eo qui suprâ montium cacumina spirat; Qui florum odoriferis halitibus, vel aromaticis herbarum particulis perfunditur, ut in quibusdam Agrorum locis se habet, aptior est ad fovendam balsamicam sanguimis constitutionem, quàm qui in locis palustribus vel Oris maritimis se præbet. Qui fluviis, vel solo pingui & irrigato est vicinior, humiditatem; qui monticulis, siccita-

tem præ ſe ferre conſuevit. Nec ſemper in ſuis benignis qualitatibus permanet Aër, inficitur enim aliquandò noxiis; dùm ſalibus corroſivis, vel nitroſis mineralium, aliiſque metallicis refertus eſt ſpiritibus, ut deprehenditur in plurimis Antris Hungariæ & Sueciæ; quod aliis etiam effectibus, ac præſertim iſtâ Sennerti obſervat. luculenter confirmatur. Anno M. DC. XXIV. Inquit, menſe maïo tam maligna aura arbores aſpiravit, ut unicâ Die pluribus in locis earum folia exſiccaret; decidêre penitùs in julio, & arborum cortices tam flavi ſunt redditi; ac ſi Auripigmento conſperſi fuiſſent. Aſt nunquid ex Aëris infectione oritur Peſtilentia? quæ diverſarum conſtitutionum reſpectu, diverſimodè etiam ſe habet. Nùmquid & ipſâ Aëris ratione facilem vel difficilem vulnerum curationem certis in Regionibus experimur? Sic in locis paluſtribus ulcera Capitis celeriter, crurum difficulter curantur, ſic levia capitis *Bononiæ* & *Lutetiæ* vulnera, *Lethaliæ*

ut plurimum Tibiarum *Avenione* & *Romæ* esse solent. Quæ quidem omnes & consimiles Aëris constitutiones sunt merè accidentales, cum à solâ effluviorum indole, seù climatis Temperie, necnon astrorum aspectu pendere videantur.

III.

PROPRIETATES autem Aëri essentiales & ipsi propriæ sunt Fluiditas, quâ tactui cedit à perenni motu illius particularum; Perluciditas seu Raritas ex eo quod radii luminis motu facillimo inter laxas ejusdem particulas pertranseant; Elasticitas à partibus nitro-Aëreis ipsi permixtis; & Gravitas ex variis corpusculorum moleculis orta, quâ fit, ut vesica vacua ponderet minùs quā-dùm Aëre repletur, ipsaque vasa vitrea, ex quibus Aër ope machinæ, Pneumaticæ fuit extractus, leviora sint, quàm non extracto. Sed quià nunquam homogeneus reperitur Aër, cùm sit ubique refertus particulis variæ indolis & naturæ, Hæterogeneitas etiam quodammodò ipsi pro-

pria esse videtur. Etenim recipit evaporationes corporum omnium terrestrium, quæ continuò propriæ substantiæ jacturam patiuntur, ex eo quod materia cælestis subiens, rediensque tràns eorum poros, impingit in eorum latera, ac secùm rapit exiles quasdam moleculas, undè illa corporum effluvia; quæ ex certis corporibus insensibiliter exhalantur, ut ex odoratis, quæ sensim sine sensu imminuuntur, ac postremo suum deperdunt odorem.

I V.

INSIGNES sunt qui ascribi possunt Aëri effectus, necessariæ admodùm utilitates: ab eo enim pendet animalium Respiratio, Vociferatio, Auditio, Olfactio, denique eorum Vita, plantarum Vegetatio, ignis Accensio, elateris Ratio, exhalationum seù vaporum Elevatio, corporum tandem omnium Dissolutio ac infinitæ propemodùm phænomenorum varietates, quæ solâ vi Aëris so-

lent explicari, de quibus passim, apud physicos. Cardanus inclusum Aërem corrumpere animalia, animâ verò carentia conservare asseruit; liberum è contrà: Triticum in siris stipatum non corrumpitur, & in horreis conclusis vitiatur; apertis verò fenestris, nihil ei nocet. Sed cum alia hîc referre exempla, nec ea omnia quæ mox viribus Aëris tribuimus sigillatim percurrere & explicare non sinant paginarum angustiæ, ut ad propositionem nostræ Theseos deveniamus, quædam hîc de solâ Aëris gravitate attigisse sufficiet.

V.

EX eo igitur quod Aër suspensa teneat gravia quædam corpora, putà exhalationes seù terrenos halitus merè aqueis ac terrestribus particulis constantes; ex eo, inquam, quod varia corporum effluvia licet se ipso multò graviora in suis velut vlnis admittat, quin & insuper mercurii suspensio ad altitudinem viginti sep-

tem pollicum, ac ſuſpenſio aquæ ad altitudinem tringinta & trium pedum in Antliis hydraulicis; ex his ſanè omnibus luce clariùs fit manifeſta Aëris Gravitas, quæ per plurima alia phyſices experimenta poſſet adhuc confirmari, niſi hujus modi veritas eſſet hodiè in confeſſo apud omnes, qui vel tantillùm in rebus phyſicis ſunt exercitati.

VI.

QUOD verò prædicta Aëris gravitas ad animalium vitam conſervandam ſit omninò neceſſaria nemo ſané diffitebitur, ſi ſemel advertat principium vitale in circulari ac fermentativo ſanguinis motu ſitum eſſe, quo nativus calor viget ac fovetur in toto corpore. Quia igitur ſanguis variâ illâ celeri & confusâ ſuarum particularum agitatione in ſuis vaſis multùm incaleſcit, neque poteſt incaleſcentiam concipere, quin illius particulæ magis exagitentur, in ſe mutuò impulſæ expandan-

tur, & ab invicem nitantur abſcedere, ac conſequenter quin tota ſanguinis maſſa ſic rarefacta majus exquirat ſpatium, vaſaque multùm diſtendat; Hinc fieret, quod hujuſmodi inteſtino ac expanſivo ferventis cruoris impetu vaſa ſanguifera nimium dilatarentur, eorum pori nimis ampliarentur, rami capillares aperirentur, inſenſilia cutis ſpiracula fierent laxiora, ſicque tenuïor, magiſque ſpirituoſa ſanguinis portio facilè in auras abiret, moxque tanto ſpirituum diſpendio Animalis interitus ſuccederet, niſi Aëris ambientis moles ſuâ gravitate & compreſſione nimiam ſanguinis rarefactionem cohiberet, ſimùlque vaſorum, & pororum cutis dilatationem impediret. Non aliâ certè ratione dùm Animalia includuntur in machinâ Boylianâ ſtatim in molem ingentem intumeſcere videntur ab extracto Aëre, cujus pondus nimiæ ſanguinis rarefactioni, vaſorumque dilatationi validè renitebatur, undè etiam Animalia calidiora uti Aves, & Columbi cùm ad majorem diſpo-

nantur tranſpirationem citiùs expirant remoto Aëre circunfluo ob cauſas jam allatas. Hinc patet Aërem nimis tenuem, qualis eſt in montium excelſorum cacumine, ad vitam ſuſtinendam eſſe ineptum, ex gravitatis defectu, quo fit ut plurimi qui ad verticem montis Olympii, vel Libani &c. Aſcenderunt, ibi animi deliquia ſe paſſos fuiſſe dicunt, ut nobis conſtat Viatorum & Hiſtoricorum relatu. Quod verò Aër longè minus gravitet in ſummitate montium, quam in maris littore facilé convincitur ex Barometri experimento. Quarè prædicta omnia colligendo meritò concludendum putamus.

Aëris Gravitatem ad Animalium vitam conſervandam eſſe omninò neceſſariam.

FINIS.